



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Anglorvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

farij sui potentia, sed & tuæ consanguinitatis respectus multiplicavit æmulos & hostes adunxit. Ne igitur ad onus sit ei potius quam honorem quod te proxima linea consanguinitatis attingit, non solum ex abundantia divitiarum tuarum ejus deberes indigentia providere, sed multa etiam tuæ necessitati subtrahere ut ejus necessitudinem sublevares. Cùm ergo inclita recordationis Richardus Rex Angliæ frater tuus ei certam legaverit pecunie quantitatem, & tu illam te juraveris, sicut accepimus, soluturum, jurantibus tecum Episcopis regni tui, rogamus serenitatem regiam & exhortamur attentius quatenus pecuniam ipsam eidem in multæ necessitatis articulo constituto persolvās, ne te ac nos in eam necessitatem inducas ut cùm justa preteritis favore teneamur apostolicum impertiri, te ad solvendum debitum, quod non denegas te debere, cogere compellamur post commotiones multotiens iteratas, per quas te non potuimus hæcenus emollire.

*PRIORIBVS ET CAPELLANIS  
Coloniensibus.*

*Epist. 130.*

Quod Colonia sedis apostolicæ filia specialis existat & veteris sigilli scriptura testatur, & Coloniensium manifestat assertio, & evidentiùs omnibus opera profitentur. Ecce etenim, ut in devotione sedis apostolicæ civitas ipsa solidaretur ex toto, nec ex aliqua ulterius parte nutaret caput languidum & cor mœrens, quod ulceris sui sanie moliebatur insicere totum corpus, ut à planta pedis usque ad verticem nulla in eo sanitas remaneret, ad mandatum apostolicum excidistis à vobis, & virum idoneum & Ecclesiæ Romanæ devotum in caput vestrum hilariter assumpsistis, qui vobis concordaret operibus, & servaret corporis puritatem. Gaudemus igitur & congaudemus vobis in Domino & sinceritatem vestram prosequimur actionibus gratiarum quod expurgato fermento veteri, ne corrumpere totam massam, in azymis sinceritatis & veritatis vos ipsi azymi ambulatis, & in fidelitate carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Ottonis in Romano-rum Imperatorem electi de die in diem persistitis fortiores. Monemus igitur dilectionem vestram & exhortamur in Domino & sub quanta possumus benignitatis affectione mandamus quatenus in devotione nostra & fidelitate Regis ipsius proficiatis jugiter, & sicut bene coepistis, fideliter persistatis, nec impetum formidetis illius qui tamquam possit fluvium absorbere, vobis exilium & depopulationem civitatis vestræ, licet frustra, minatur: cui resistite fortes in fide, constantiam vestram & fortitudinem urbis vestræ in hoc pariter ostendentes, & potissimum confidentes in eo qui projecit in mare curram & exercitum Pharaonis, & qui nunquam deserit de sua misericordia confidentes, nec exaltationem hostis vel extollentiam potius formidetis, quoniam omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur juxta testimonium veritatis. Nos autem, qui puritatem vestram in multis hæcenus & nunc præsertim in facto Adolphi quondam Archiepiscopi vestri, nunc depositi, sumus evi-

denter experti, ad honorem & profectum tam Ecclesiæ quam civitatis vestræ, dante Domino, efficaciter intendemus.

*Scriptum est in eundem modum Plebanis Coloniensibus. Item Scabinis & universo populo Coloniensi.*

*ILLVSTRI REGI ANGLORVM.*

Quantum honoris & gloriæ quantumque fortitudinis & virtutis accresceret tibi & regno tuo, si carissimus in Christo filius noster illustris Rex Otto serenissimus nepos tuus ad coronam imperij tuo suffragio perveniret, regalis prudentia non ignorat. Cùm igitur eidem Regi scripserimus ut ad hoc diligenter intendat, ad quod etiam nos intendimus diligenter, quoniam ex quo imperij coronam haberet, Principes qui coronæ imperij tenentur stricti, ei tamquam domino procul dubio adhererent, serenitatem tuam rogamus, monemus, depopulamus, & hortamur quatenus ei ad obrinendum coronam imperij, sicut caram habes gratiam divinam & nostram, & tuum diligis commodum & honorem, auxilium tribuas opportunum, de nostra circa ipsum gratia plena securus quod ad sublimationem ejus efficaciter aspiramus. Vnde si ei curaveris non minutatim, ut hæcenus, licet raro, sed simul & plenè, prout decet & expedit, subvenire, negotium ejus non tam sibi quam tibi ad optatum perducat effectum.

*E I D E M.*

Cum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni nepoti tuo tenearis magnificè subvenire, non solum ratione carnis & sanguinis, verum etiam consideratione commodi & honoris, quoniam si per tuæ subventionis auxilium idem Rex nepos tuus ad coronam imperij perveniret, status utique regni tui robur susciperet & augmentum, plus utique quam oporteat litteris explicare miramur non modicum & movemur quod ei vel de tuo subvenire non curas, vel saltem de suo, videlicet quod ex testamento inclitæ recordationis Richardi Regis germani tui sibi solvere sine dubitatione teneris. Volentes igitur tam tibi quam ipsi paterna sollicitudine providere, serenitatem tuam rogamus attentius & monemus, fideliter consulentes quatenus ei super his quæ prædictus Rex frater tuus ei testamento legavit non differas ulterius satisfactionem debitam exhibere, ne per tuum defectum suus impediatur profectus; quatenus si per te fuerit adjutus, negotium ejus optatum sortiatur effectum. Datum Romæ apud sanctum Petrum xiiii. Kalend. Martij, pontificatus nostri anno octavo.

*Scriptum est super hoc Helicnsi, Dunelmensi, & Wigornensi Episcopis. Cùm carissimo &c. in eundem fere modum usque in finem. Quocirca fraternitatem vestram rogamus & monemus attentius, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatenus eundem Regem ad hoc moneatis prudenter & efficaciter inducat. Et si forte per exhortationes vestras ad id induci nequiverit, vos eum per distinctionem ecclesiasticam compellere non tardetis, non obstantem compositione quæ facta est inter ipsos;*

*Epist. 131.*

*Epist. 132.*